



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus Practicus De Casibus Summo Pontifici, Episcopis, Et Praelatis Religionum Reservatis

Kiene, Johann Georg

Constantiae, 1629

1. Iuramentum vt sit actus Religionis debet niti Veritate, Iudicio & Iustitiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42214

XIV. Exceptio de crimine occulto.

XV. Superiorum processus de Religiosis.

XVI. Corollaria de iudicio Regulari.

I. Ut iuramentum virtutis, ac Religionis actus efficiatur, iure diuino & naturali requirit. 1. Veritatem, vt nimirum non iuretur falsum. 2. Iudicium, nè leuiter, sed ex necessaria causa & discretè iuretur. 3. Iustitiam, vt non iuretur, nisi quod licitum est, & iustitiæ consentaneum: cum enim Deus, qui est summa veritas & iustitia per iuramentum in testem aduocetur, necessario requiritur, vt pro eius reuerentia iuramentum de re vera, iusta ac æqua, atque cum debita circumspectione & maturo iudicio edatur. Iuramentum est adtestatio Diuini Numinis, vel inuocatio diuini testimonii ad fidem faciendam, vel promissionem, firmandam.

Less.

*Less. l. 2. c. 42. dub. 1. num. 1. Sayr in
 Clavi Regia. l. 5. c. 4. num. 1. Ex illo
 Hierem. 3. Iurabis, Vivit Dominus
 in Veritate, & Iudicio, & in Iu-
 sticia, atque ita hæ conditiones ad
 iuramenti valorem exiguntur,
 vt quæcunque ex his desideretur,
 iuramentum reddatur illicitum.
 teste S. Thom. 22. q. 89. a. 2. cum com-
 muni. Et sufficit iurantem diui-
 num testimonium saltem virtua-
 liter invocare voluisse, et si for-
 maliter & expressè non cogita-
 rit, neque rationem iuramenti in-
 tellexerit. Imò mortaliter peccat,
 qui iurat se aliquid facturum quod
 sit mortale (etiam contra Reli-
 gionem) abutitur enim iuramen-
 to: Et venialiter, si fuit veniale,
 quod cum proposito exequendi
 iuravit: ad neutrum tamen per-
 soluendum tenetur ex communi
 ratione iuramenti, quod vniuersa-
 lis regula sit: Iuramentū promif-
 forium*

forium non inducere obligationem rei præstandæ, quæ sine causa saltem veniali nequit impleri.

II. Diuiditur. i. Iuramentum in Assertorium, quod adhibetur ad præteritum, vel præsens affirmandum, vel negandum, v. g. iuro per Deum me non conspirasse contra Magistratum, homicidam esse: Et Promissorium quatenus refertur ad præsens animi iudicium, seu propositum de realiqua præstanda, v. g. iuro per Deum me tibi satisfacturum, non lusurum chartis, taxillis &c. 2. In iuramentum, quod fit per simplicem attestacionem quâ Deus in testem produci-
tur. v. g. testor Deum, Deus sit mihi testis: Et in id, quod per execrationem fit, quo iurans sibi vel aliis malum à Deo vindice inferendum precatur, nisi è vero habeat, quod iurat. v. g. peream, non mouear hinc, Dæmon arripiat, ita
me